

Hæc quæstio proposita fuit S. Congregationi Inquis., ut patet ex postulo posteriori, modo relato. S. Congr. noluit directum responsum dare, et remisit ad Decretales plures Clement. III, necnon ad probatos Auctores, præsertim ad S. *Ligorium*. Porro, in locis citatis Juris, et S. Alphonsi, non agitur nisi de illis qui impediuntur ire Romam in genere. Licet igitur inde concludere, Episcopum absolvere posse stante gravi periculo in mora, sicut in casu nostro refertur, quia recursus ad Papam est moraliter impossibilis.

CASUS XXIV.

SOLLICITATIO AD TURPIA 1°.

VIBIANA, mulier vitæ liberiori dedita, pluries turpiter egit cum ipso Confessario, a quo tum in confessione, tum occasione confessionis ad peccandum sollicitata fuerat. Hoc in variis confessionibus sacrilege reticuit. Nunc vero, audita vehementi concione, et dolore cordis tacta intrinsecus, confessionem generalem apud URBANUM Parochum instituit, et omnes animæ sordes ei pandit. His auditis, URBANUS urget VIBIANAM ad complicem Superioribus denunciandum. Mulier autem huic jussioni obtemperare absolute abnuat. Quapropter eam de excommunicatione post mensem incurrenda, nisi obediat, debite monitam absque absolutione dimittit.

HINC :

QUÆR. 1° *Quinam sollicitantes denunciandi sint?*

2° *An absolvi possit pœnitens sollicitatus, antequam sollicitantem denuntiet, si denuntiare promittat?*

3° *Quomodo facienda sit denuntiatio?*

4° *Quid ad casum?*

SOLUTIO :

648. — *R. ad 1^m Quæs.* De jure communi Superioribus denunciandi sunt Sacerdotes ad peccandum contra sextum Decalogi præceptum sollicitantes, sive in *in confessione*, sive *occasione*, *prætextu*, vel *simulatione confessionis*, aut *ante vel post confessionem*, aut *in loco ubi confessiones excipiuntur*. Sic ex Bulla Gregorii XV, *Universi gregis*, confirmata a Bened. XIV, in Bulla *Sacramentum Pœnitentiæ* (1).

(1) De jure particulari in nonnullis locis, præsertim in variis Galliarum diocœsibus vigente, datur obligatio denunciandi Sacerdotes ad turpia sollicitantes, etiam extra confessionem et sine occasione confessionis. Verum plures canonistæ, præsertim recentiores, negant Episcopum hujusmodi statutum ferre posse. Sic *Stremler, Traité des peines ecclésiastiques, première partie, c. 5, § 8, et c. 7, § 1.* — *Craisson, Manuale Juris canonici, n. 5826-5828-5844.* — *Analecta Juris Pontificii, tom. 4, p. 1866 et seq.*

Inter varias rationes in quibus innititur horum sententia, hæc præcipua nec spernenda refertur, scilicet quia Episcopus est incompetens ad puniendum delictum occultum. Etenim, aiunt, Episcopus, quantumvis certioratus de existentia delicti sibi manifestati, nullo modo contra reum procedere potest, propter defectum omnis probationis canonicæ et juridicæ; quia nemo potest damnari, nisi vel confessus judicialiter, vel legitimis testibus et probationibus convictus. Quod si aliter statuatur contra Confessarios in confessione, vel occasione confessionis ad turpia sollicitantes, hoc fit per exceptionem omnino extraordinariam, quam Summus Pontifex solus facere potest.

R. ad 2^m Quæs. Neg. per se, quia, semel absolutus, facile onus denuntiationis declinet, et sic lex fere inutilis redderetur. Excipe si justa adsit causa, v. g. si temporis angustia absolutionem differre non patiantur, et pœnitens promittat se brevi obligationi satisfacturum esse. Sic ex Bulla Bened. XIV. S. *Lig. n. 693.*

649. — *R. ad 3^m Quæs.* Denuntiatio plerumque facienda est voce, non scripto; adeundus est loci Ordinarius, vel inquisitor, ubi tribunal Inquisitionis existit. Attamen, in quibusdam casibus particularibus, v. g. quando persona sollicitata nullo modo induci potest ad denuntiationem tali forma peragendam, quia nempe timore cohibetur, vel rubore insuperabili afficitur, tunc Episcopus, de re monitus, delegare potest quemcumque Sacerdotem, etiam Confessarium, ad denuntiationem accipiendam. Hæc facultas Episcopis et Inquisitoribus, ex Indulto S. Inquisitionis, de consensu S. Pontificis, facta est. Sacerdos autem delegatus juramentum præstare debet de silentio servando, et de munere sibi commissio fideliter adimplendo. *Scavini, de Pœnit. c. 4, art. 5.* — *Kenrick, Tract. 18, n. 245.* — *Analecta Juris Pontificii, mense Septemb. 1855.*

In omni autem casu denuntiatio facta per litteras anonymas est omnino insufficientis, et a S. Cong. Inquisitionis omnino reprobatur. *Analecta, ibid.* Ratio est, quia secus nullius roboris foret testimonium denuntiantis; et insuper, maxima incommoda inde subsequi possent, v. g. mulier quæ, ex invidia aut ex animo vindictæ, Sacerdotem innocentem perdere vellet, varios Confessarios adire posset, et apud singulos se sollicitatam esse ab aliquo Sacerdote referre, ut ad denuntiationem faciendam urgeretur. Quid autem inde? Denuntiationes multiplicatæ, quæ, licet ab eadem sacrilega muliere fierent, a diversis tamen sollicitatis provenire viderentur.

650. — *R. ad 4^m Quæs.* Recte egit URBANUS, Parochus, VIBIANAM absolutione vacuum dimittens, eam de excommunicatione incurrenda admonendo, nisi intra mensem obtemperaret, ex eo quod Sacerdotem, a quo in confessione fuerat sollicitata, denuntiare noluerit. Nam constat 1° de obligatione denunciandi sollicitantem ante absolutionem, si fieri possit, ex verbis Bened. XIV, in Bulla *Sacramentum Pœnitentiæ*, ubi dicitur: *Caveant diligenter Confessarii, ne pœnitentibus, quos noverint ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius, denuntiationem ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti judici, vel saltem se, cum primum potuerint, delaturos spondeant ac promittant.* 2° Constat vero de excommunicatione ex duplici Edicto S. Cong. Inquis. 3 Jan. 1623, et 10 Martii 1677; ac præsertim ex Const. *Apostolicæ Sedis ser. 4. Excom. 4.* — Excommunicatio autem illa, contracta ob denuntiationem neglectam, non est reservata post factam denuntiationem.

651. — *NOTA 1°.* In omni casu nulla mentio facienda est in denuntiatione consensus forte a pœnitente præstiti, quia nemo tenetur seipsum denuntiare. Insuper, pœnitens qui consensum sollicitationi præstitit, non ideo excusatur ab onere Confessarium sollicitantem denunciandi, ut constat ex Bulla *Sacramentum Pœnitentiæ.*

NOTA 2°. Persona quæ non potest denuntiare voce, tenetur per episto-

lam aut internuntium, si absque propria infamia id præstare valeat, aut monere Superiorem ut delegatum mittat ad denuntiationem accipiendam. Ratio est, quia obligatio denunciandi sollicitantem non est tam adeundi personaliter Superiorem quam ei delinquentem deferendi, ut *Bened. XIV* in sua Bulla declarat: *Qui enim tenetur ad finem, etiam ad media tenetur. Ita S. Lig. n. 699.* Non tenetur autem Confessarius onus illud suscipere, sed muneri suo satisfaciet monendo pœnitentem ut reum opportuno tempore rite denuntiet. Poterit tamen operam suam præstare, si censuerit expedire, notitia rei extra tribunal Pœnitentiæ accepta. *S. Lig. ibid.*

NOTA 3°. Ubi desunt Inquisitores, denuntiatio facienda est Episcopo loci in quo versatur pœnitens. Ipsius enim est excipere juratam denuntiationem eamque ad Episcopum rei, si forte diversus sit, transmittere, quando id necessarium judicaverit. *Kenrick, de Pœnit. n. 245.*

652. — NOTA 4°. In regionibus longinquis, ubi sine magno incommodo adiri non possunt Inquisitores, vel Episcopi, aut Eorum Vicarii, ut in regionibus hæreticorum, schismaticorum, paganorum, etc., absolvi possunt mulieres sollicitatæ, quin ad obligationem reum denunciandi urgeantur; sed, cessante impedimento, v. g. in Episcopi visitatione, denunciare tenentur. *S. Cong. S. Officii, 22 Jan. 1727, et 21 Feb. 1630, apud Kenrick, ibid.*

CASUS XXV.

SOLLICITATIO AD TURPIA 2°.

CORNELIA cum lacrymis et suspiriis in confessione fatetur Sulpitio Parocho, se confessionis prætextu cum Everaldo, Confessario, quem perditissimo prosequabatur amore, turpe facinus commisisse. Prudenter eam interrogat Sulpitius, et rescit Corneliam se graviter ægrotantem simulasse et Confessarium, pravi illius affectus prorsus ignarum, confessionis prætextu advocasse, eumque, licet primo reluctantem, ad crimen patrandum tandem induxisse. His auditis, hæret anceps Sulpitius, nesciens utrum denuntiationem hujus Confessarii urgere debeat, necne.

HINC :

QUÆR. An CORNELIA obliganda sit ad denunciandum Everaldo quem ipsa sollicitavit et in peccatum induxit?

SOLUTIO :

653. — *R. ad Quærs. Negat. S. Lig.* cum aliis quia ex Bulla Gregoriana denunciandi sunt Confessarii qui sollicitarunt ad turpia, non vero illi qui sollicitationi consensum præstiterunt. Hinc, ut pœnitens subeat obligationem Confessarium denunciandi, requiritur ut ipse ab illo sollicitatus fuerit. Igitur, licet Confessarius non eximatur a peccato magno ob inhonestum tractatum in confessione, vel occasione confessionis, etc., pœnitens tamen ab obligatione Confessarii denunciandi eximitur, dum non reperitur sollicitatus. *S. Lig. n. 681, etc.*

Sed obstat Decisio Congr. S. Off. (11 Febr. 1661) interpretans Constitutionem Gregorii XV et confirmata a Benedicto XIV, quæ statuit *hujusmodi Sacerdotem esse denunciandum*; et recens ejusdem S. Congr. Instructio, 20 Febr. 1867, qua id etiam (§ 2) expressè declaratur.

CASUS XXVI.

SOLLICITATIO AD TURPIA 3°.

RUFINA a SYLVANO, Confessario, ad crimen sollicitata, cum eo lapsa est, et nunquam per quindecim annos peccatum illud in confessione pandere ausa est. Tandem, instituta generali confessione, illud novo Confessario aperuit. Hic urget obligationem complicem denunciandi. Renuit pœnitens, his innixa rationibus: 1° quia peccatum istud a multo tempore fuit commissum; 2° quia complex casu et mera fragilitate deliquit: seriam enim egit pœnitentiam; 3° quia magna gaudet virtutis fama apud omnes, et nuperrime ad conspicuam dignitatem evector fuit; 4° quia non tenetur seipsam prodere, propriam faciendo denuntiationem. His de causis Confessarius scribit ad Episcopum, ad obtinendam ab eo facultatem RUFINAM absolvendi quin denuntiationem præmiserit, quod illico concessit Episcopus.

HINC :

QUÆR. 1° An excusationes RUFINÆ valeant?

2° An Episcopus facultatem absolvendi absque denuntiatione concedere possit, quin facultates speciales a Pontifice habeat?

SOLUTIO :

654. — *R. ad 1^m Quærs.* Excusationes RUFINÆ nihil prorsus valent. Nam, 1° non valet prima ratio, seu ex eo quod peccatum a multo tempore patratum fuerit, quia lex non distinguit; nec solam emendationem rei, sed ejus punitionem intendit: secus enim, ad impediendam denuntiationis obligationem, sollicitatus onus illud ad aliud tempus remitteret. Insuper, quodnam tempus longum dicendum foret? 2° Neque valet secunda ratio, quod ex mera fragilitate et pœnitentia sollicitantis deducitur; quia plerumque de hoc constare nequit. Quid enim facilius est quam fragilitatem et pœnitentiam simulare? 3° Neque valet tertia ratio, secus enim semper prætextus excogitari possent. Cæterum Superioris erit, pro sua prudentia, determinare quid opportunius pro bono Ecclesiæ agendum sit. 4° Neque magis urget quarta ratio, quia *Benedictus XIV*, in Bulla *Sacramentum Pœnitentiæ*, præcipit fieri denuntiationem, etiamsi pœnitens consenserit. Præterea denuntiatio fieri potest absque periculo famæ. Etenim mulier non tenetur dicere se consensum præstitisse, sed satis est ut dicat se fuisse sollicitatam; imo etiam interrogata, se consensum dedisse negare potest. Constat ex Decisione *S. Congr. Inquis.*, die 27 Sept. 1724, ubi dicitur: *Si mulier consentit Confessario sollicitanti, non tenetur suum consen-*

sum manifestare, nec potest super hoc ab Episcopo interrogari. *S. Lig. n. 700.*

655. — *R. ad 2^m Quæ. Neg. per se*, si agatur de vera sollicitatione in confessione, vel occasione confessionis, etc. Ratio est, quia agitur de lege communi Ecclesiæ magni momenti, cujus dispensatio ad Episcopos non devolvitur, seclusa speciali delegatione, quæ parce admodum concedi solet. Etenim ex Decreto *S. Cong. Inquis.*, si pœnitens non possit induci ad denuntiandum, recurrendum est ad S. Sedem pro opportuno remedio, et interea pœnitens non absolvatur. *S. Lig. n. 699, in fine.* Aliquando S. Sedes, in casu magnæ verecundiæ, rescripsit dando facultatem Confessario absolvendi pro ea vice pœnitentem, citra onus denuntiandi. Sic refert *S. Lig. ibid.*, post *Mazzotta*. Constat etiam talem esse praxim tribunalium Romanorum, quæ ad summum paucos casus, v. g. 20, pro futuris dispensationibus tribuunt.

CASUS XXVII.

SOLLICITATIO AD TURPIA 4^o.

MENANDER, Confessarius, prævidens SYLVIAM nunquam obligationi complicem denuntiandi obtemperaturam esse, etiamsi sub pœna denegandæ absolutionis ipsi declaretur, judicat eam potius in bona fide relinquendam esse, et, prætermissa admonitione, absolvendam. Postea, vero, dubitans an recte egerit, duos alios Sacerdotes hac de re interrogat. Prior affirmat ipsum recte egisse, quia ex regula generali omittenda est monitio, quando fructus ex ea non speratur; posterior autem prorsus dissentit, quia lex Ecclesiæ in casu nostro est adeo absoluta, ut exceptionem nullam admittat. MENANDER igitur dubii solutionem iterum postulat.

HINC :

QUÆR. *An monenda sit de obligatione denuntiandi mulier, quæ certo prævidetur non obtemperatura?*

SOLUTIO :

656. — *R. ad Quæ. Affirm.* Mulier de obligatione denuntiationis monenda est, licet Confessarius prævideat eam certo non esse denuntiatam; et si denuntiare nolit, debet eam non absolutam dimittere. Ratio est, quia ipsi Confessario a Pontifice in prædicta Bulla obligatio monendi expresse præcipitur. Etenim, licet generatim loquendo in aliis obligationibus Confessarius, prævidens monitionem non profuturam esse, eam omittere debeat, hoc tamen non currit quando de damno communi vitando agitur, ut in præsentī casu evenit. *S. Lig. n. 694.*

CASUS XXVIII.

SOLLICITATIO AD TURPIA 5^o.

1^o BRIXIUS, Sacerdos, occasione confessionis, RUTILIAM ad quædam leviter inhonesta sollicitavit. RUTILIA vero alium adit Confessarium, cui

rem manifestat. Hic, audita mulieris confessione, eam obligat ad sollicitantem denuntiandum, et obnitentem sine absolutione dimittit, donec id peregerit.

2^o SIGOLENA sub secreto naturali committit VALFRIDÆ, se a PAULINO Confessario suo, occasione confessionis, ad peccatum graviter inhonestum sollicitatam fuisse. VALFRIDA vero anxia, rem Confessario proprio exponit. Hic autem eam obligat ad PAULINUM, non obstante secreto promisso, denuntiandum, sub pœna denegandæ absolutionis.

3^o RIPASIVS, Sacerdos, rogatus a BERTA ut die sequenti ejus confessionem excipiat, eam statim ad peccandum sollicitat. BERTA autem alium adit Confessarium, a quo obligatur ad RIPASIVM denuntiandum.

HINC :

QUÆR. 1^o *An denuntiandus sit Confessarius sollicitans ad actus tantum venialiter inhonestos?*

2^o *An denuntiare debeat pœnitens non tantum sollicitatus, sed quivis alius qui sollicitationem novit?*

3^o *Quid, si sollicitationem sub secreto naturali acceperit?*

4^o *An denuntiandus RIPASIVS in tertio casu?*

SOLUTIO :

657. — *R. ad 1^m Quæ. Neg. saltem probabilius.* Ratio est, quia, ad denuntiandum sollicitantem, requiritur ut actus sollicitationis sit peccatum grave, ita ut putetur eum graviter in eo peccasse. *Benedictus* enim hoc sollicitationis crimen appellat nefariam improbitatem, quod peccatum certo grave denotat. Præterea actus in se levis contra castitatem, non fit gravis ex eo quod in confessione, vel occasione confessionis ponatur; secus enim quodlibet peccatum veniale in materia veracitatis, humilitatis, patientiæ, etc., evaderet grave in Sacramento, quod nemo asserit.

Nec obstat dicere quod culpa levis redditur gravis, ob reverentiam Sacramento debitam; nam alias omne peccatum leve in confessione fieret grave ob irreverentiam Sacramento irrogatam, quod falsum est. Insuper, tota injuria tunc est quatenus Sacramentum ministratur cum actu pravo: ergo, si actus sit leviter pravus, levis etiam erit injuria Sacramento illata. *S. Lig. n. 683, et alii multi contra plures.*

658. — *R. ad 2^m Quæ. Affirm.* Ratio est, quia parvi refert quod agatur de ipso sollicitato vel de alio qui rem novit; remanet enim idem adæquatus finis legis, qui est ut sollicitans puniatur. Cæterum casus ille raro occurrit, quia plerumque sollicitatio a solo pœnitente sollicitato cognoscitur. *S. Lig. n. 695, in fine.*

659. — *R. ad 3^m Quæ.* Ille qui sollicitationem sub secreto naturali novit, nihilominus ad denuntiationem faciendam tenetur. Ratio est, quia nemo tenetur ad secretum, etiam cum juramento promissum, quando secretum illud in damnum commune vergit. Excipe tamen, si sollicitatio sit manifestata ad petendum consilium; nam pro palatio secreti esset tunc contra commercium humanum, et etiam contra bonum publicum quod in consiliis petendis intervenit. *S. Lig. n. 698.*

660. — *R. ad 4^m Quæ. Affirm.* Ratio est, quia jam verificatur sollicitationem factam esse occasione confessionis. Negant tamen plures, quia, aiunt, sollicitatio non est proxima confessioni faciendæ, sed potius conventioni de facienda confessione. Sed *S. Lig.* ait hoc non officere quominus sollicitatio dicatur facta occasione confessionis. Quare primæ sententiæ omnino subscribit.

CASUS

DE OFFICIO CONFESSARII

SCILICET

De Confessario ut doctore et iudice; de agendi ratione Confessarii cum penitentibus in occasione peccati versantibus; cum consuetudinariis et recidivis; cum pueris; cum moribundis; cum sponsis proxime nupturis; de defectibus a Confessario reparandis.

CASUS I.

CONFESSARIUS UT DOCTOR.

CURTIVS, Confessarius, magna pœnitentium turba omnis generis circumdatus, quam plurimis satisfacere cupiens, parum curat de pœnitentibus edocendis adhortandisque, et vix unam alteramve interrogationem interjicit, ratus se ad nil aliud teneri, saltem *sub gravi*. Hinc plerosque absolvit inscius an sufficiente doctrina polleant, necne; plures evidenter ignaros, ut pueros et rudiores, a se facile dimittit, donec per se aut per alios, v. g. per parentes, instruantur; quod præstat etiam erga eos qui examen neglexisse videntur. Si quando pœnitentes videantur ex ignorantia peccasse, eos edocere omittit, ne formaliter saltem gravius peccent.

LONGINUS autem, timens semper ne muneri suo deficiat, ab interrogandis, instruendis, adhortandisque pœnitentibus finem non facit, innixus hoc principio, scilicet: *Confessarium respondere coram Deo de solo pœnitente nunc confitente, non autem de cæteris expectantibus*. Hinc sedulo satagit pœnitentes examinando perscrutari, ignorantiam ab omnibus excutere, quantumvis invincibilem, licet prævideat eos monitis non esse obtemperaturos; quia, inquit, *si non obtemperent, id sibi imputare debent*.

HINC :

- QUER. 1^o *An quid teneatur Confessarius ut doctor?*
 2^o *An ignaros examinare et instruere debeat?*
 3^o *Quantum, vel quomodo eos instruere teneatur?*
 4^o *An semper instruere debeat vel possit pœnitentes ex ignorantia sive vincibili, sive invincibili peccantes?*
 5^o *Quid de utroque Confessario sentiendum?*

SOLUTIO :

661. — *R. ad 1^m Quæ.* Confessarius, ut doctor, tenetur pœnitentes docere ea omnia quæ pertinent ad Sacramentum Pœnitentiæ hic et nunc recipiendum, quia ut minister Sacramenti ejus validam et licitam adminis-